ORIGENES
12. Jh. Seite 137r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26152
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Intellege sagitta quid dicat. & quomodo sit adeo electa. Quam
beatum est hoc iaculo uulnerari. Hac sagitta fuerant uulne-
rati illi qui inter se inuicem conferebant. Nonne cor nostrum in nobis erat
ardens in uia. cum aperiret nobis scripturas. Si quis sermone
nostro. si quis scripture diuine magisterio uulneratur. & potest
dicere. quia uulneratus caritate ego. sum. hunc & illud forsitan
sequitur. Quod forsitan dico. Manifestam primo sententiam.
Sinistra eius sub capite meo. & dextera illius amplexabitur
me. Habet in sinistra & dextera sapientiam sermo dei. cum
pro intellectus uarietate sit multiplex. in subiacenti una est.
Ipse salemon de leua & dextera sapientie docuit dicens.
longitudo enim & anni uite in dextera eius. in sinistra autem
illius diuitie & gloria. Igitur leua eius sub capite meo. ut me fa-
ciat requiescere. & brachium sponsi fiat ceruical meum. & re-
clinetur anime principale super sermonem dei. Leua eius sub
capite meo. Non expedit tibi habere ceruicalia. quae lamentatio
sequitur. In ezechiel scriptum est. Ve eis qui consuunt ceruicalia
sub omni cubito manus. Noli consuere ceruicalia. noli capi-
ti aliunde requiem querere. habes sponsi leuam. sit sub capite
tuo. & dic. leua eius sub capite meo. Quam cum habueris.
omnia tibi quae sunt in leua tribuentur. Dices quippe. in sinistra eius diui-
tie & gloria. & dextera eius complexabitur me. Totum te sponsi
dextera complectatur. longitudo quippe & anni uite in
dextera eius. & ob id longe uite & multorum annorum eris